

tionem adeo comitetur ut, huius incenso, mortificationis myrrha adiungatur. De coetero non venisti ad regimen ut divitias terrenas habeas, sed ut spirituales virtutes perficias, non ut voluntatem tuam expleas, sed ut fidelibus servias, ut in simplicitate Deo obedias, ut in humilitate Illi placeas et, mortificatione mediante, sacrificium Deo acceptabile efficiaris. Ecclesiasticum statum semel ingressus, clausisti te, Christi vinculis alligasti: clausisti sane et alligasti te per obedientiae iugum, per disciplinae observantiam, per mortificationis studium ligatura, quibus castigatus et mortificatus *oratio tua in sinu tuo convertetur*<sup>1</sup>. *Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna*<sup>2</sup>. *Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras si... permanseritis in ieiuniis et orationibus in conspectu Domini*<sup>3</sup>... *Oratio humiliantis se nubes penetrabit*<sup>4</sup>.

c) Vitae suae ordinem ipse statuatur; nam *metiendae sunt nobis horae ministerii ut breviter persistamus in opere, festinantes redire valeamus ad contemplationis arcem*<sup>5</sup>. Secus, enim, occupationum tumultu exagitatus Pastor, vel orationem posthabet, vel tam pigre huic incumbet, ut nullum fere fructum comparabit. Omnia, igitur, quotidiana munera negotiaque singulas in horas singulasque in hebdomadas, in menses, variaque in anni tempora, ut *quod vitae ordinem sumpsit, hunc observare attentius debeat*<sup>6</sup>, disposita scripto Pastor habebit. Idcirco *ipsae secreti silentii morae, tam lege distractionis custodiendae sunt, ut etiam ipsi qui accedere solent, sciant quod contra propositum nostrum ad nos accessum non habent*<sup>7</sup>. *Deputentur, igitur, tempora, distribuantur horae pro salute animarum*<sup>8</sup>.

48. — De oratione cum actione coniungenda quaedam summa principia recolenda supersunt, nimirum:

a) Tum orationi, tum actioni Pastor insistere debet; nam *perfectus praedicator non est qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit*<sup>9</sup>. Praepositus, enim, non pro se, sed pro fidelibus in regiminis loco constituitur, ut spiritualia bona ipsis comparet<sup>10</sup>. Ut vero actio recta sit, a contemplatione et meditatione mentis [uti effectus a causa] dimanare debet, et ut contemplatio effectum suum sortiatur, ut per

<sup>1</sup> Psalm. CXXVI, 1.

<sup>2</sup> Tob. XII, 8.

<sup>3</sup> Iudith. IV, 12.

<sup>4</sup> Eccles. XXXV, 24.

<sup>5</sup> S. Gregor. Magn. in 1 Reg. Lib. IV, Cap. 4.

<sup>6</sup> Id. Ibid.

<sup>7</sup> S. Gregor. Magn. in 1 Reg. Lib. IV, Cap. 4.

<sup>8</sup> S. Augustin. Confess. Lib. VI, Cap. 11.

<sup>9</sup> S. Gregor. Magn. Moral. Lib. VI, Cap. 37.

<sup>10</sup> Cfr. Id. Epistolar. Lib. I, Indict. 9, Epist. 25, Ad Ioan. Episcop.

actionem in praxim deducatur oportet. Pastor, idcirco, *neesse est ut sit charitate succensus, necnon interiori ac exteriori exercitatione ornatus, quatenus contemplationis alis per amorem Dei elevetur ad summa, atque per dilectionem proximi, compassione motus, descendat ad ima*<sup>2</sup>. Attamen, dum omnibus donat quae omnibus debet, ante omnia Deo reddere quae Dei sunt eius officium est; ne, deinceps, negotiorum exagitatus tumultu, haec negligere vel omittere cogatur.

b) Tum oratio, tum actio adeo ad invicem copulentur ut neutra detrimentum persentiat. Pastor, enim, *nec sic debet esse ociosus ut in eodem ocio proximi utilitatem non cogitet, nec sic actuosus ut contemplationem Dei non requirat*<sup>3</sup>. Idcirco, si uti privatus homo, contemplationem praefere Pastor debet; e contrario, uti publica persona, actioni insistere magis ei opus est; quod tamen [in praxi] a muneris momento eiusque oneribus ac peculiaribus contingentibus multum dependet.

c) Quandoque, ut peculiaribus fidelium necessitatibus consulat, orationem intermittere Pastor debet. *Ipsa, enim, Veritas de hoc exemplum praebuit, quae, per susceptionem nostrae humanitatis nobis ostensa, in monte orationi inhaeret, miracula in urbibus exercet; imitationis, videlicet, viam bonis Rectoribus sternens ut, etsi iam summa contemplando appetunt, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo miscuantur; quia tunc ad alta caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, et quo benigne descendit ad infima, valenter decurrit ad summa...<sup>4</sup>. Nec taedere animum debet si sensus eius contemplationi spiritualium semper intentus, aliquando dispensandis rebus minimis quasi minoratus inflectitur, quando illud Verbum per quod constant omnia creata, ut prodesset hominibus, assumpta humanitate, voluit paulo minus ab Angelis minorari. Quid ergo mirum si homo se propter hominem attrahit, dum Creator hominum et angelorum formam hominis propter hominem suscepit?*<sup>5</sup>. Quod et Moysem fecisse legimus qui ad foederis Tabernaculum frequenter introibat et ab illo frequenter exibat: introibat, enim, ut contempleret, ab eo exibat ut operaretur; contemplantur ut recte se gereret, operabatur ut apte contempleret.

49. — Orationibus, igitur, ac sanctis desideriis totam paroeciam velut humeris suis Pastor sustentet: orationis clypeo caput

<sup>1</sup> S. Gregor. Magn. Reg. Past. Par. II, cap. VII.

<sup>2</sup> Id. Ibid.

<sup>3</sup> S. Augustin. De Civit. Dei, Lib. XIX, cap. 19.

<sup>4</sup> S. Gregor. Magn. Oper. cit. Par. II, Cap. 8.

<sup>5</sup> Id. Moral. Lib. XIX, Cap. 28.



tionem adeo comitetur ut, huius incenso, mortificationis myrrha adiungatur. De coetero non venisti ad regimen ut divitias terrenas habeas, sed ut spirituales virtutes perficias, non ut voluntatem tuam expleas, sed ut fidelibus servias, ut in simplicitate Deo obedias, ut in humilitate Illi placeas et, mortificatione mediante, sacrificium Deo acceptabile efficiaris. Ecclesiasticum statum semel ingressus, clausisti te, Christi vinculis alligasti: clausisti sane et alligasti te per obedientiae iugum, per disciplinae observantiam, per mortificationis studium ligatura, quibus castigatus et mortificatus oratio tua in sinu tuo convertetur<sup>1</sup>. Bona est oratio cum ieiunio et eleemosyna<sup>2</sup>. Scitote quoniam exaudiet Dominus preces vestras si... permanseritis in ieiuniis et orationibus in conspectu Domini<sup>3</sup>.... Oratio humiliantis se nubes penetrabit<sup>4</sup>.

c) Vitae suae ordinem ipse statuatur; nam *metiendae sunt nobis horae ministerii ut breviter persistamus in opere, festinantes redire valeamus ad contemplationis arcem*<sup>5</sup>. Secus, enim, occupationum tumultu exagitatus Pastor, vel orationem posthabebit, vel tam pigre huic incumbet, ut nullum fere fructum comparabit. Omnia, igitur, quotidiana munera negotiaque singulas in horas singulasque in hebdomadas, in menses, variaque in anni tempora, ut *quod vitae ordinem sumpsit, hunc observare attentius debeat*<sup>6</sup>, disposita scripto Pastor habebit. Idcirco ipsae secreti silentii morae, tam lege distractionis custodiendae sunt, ut etiam ipsi qui accedere solent, sciant quod contra propositum nostrum ad nos accessum non habent<sup>7</sup>. Depulentur, igitur, tempora, distribuantur horae pro salute animarum<sup>8</sup>.

48. — De oratione cum actione coniungenda quaedam summa principia recolenda supersunt, nimirum:

a) Tum orationi, tum actioni Pastor insistere debet; nam *perfectus praedicator non est qui vel propter contemplationis studium operanda negligit, vel propter operationis instantiam contemplanda postponit*<sup>9</sup>. Praepositus, enim, non pro se, sed pro fidelibus in regimini loco constituitur, ut spiritualia bona ipsis comparet<sup>10</sup>. Ut vero actio recta sit, a contemplatione et meditatione mentis [uti effectus a causa] dimanare debet, et ut contemplatio effectum suum sortiatur, ut per

<sup>1</sup> Psalm. CXXXVI, 1.

<sup>2</sup> Tob. XII, 8.

<sup>3</sup> Iudit. IV, 12.

<sup>4</sup> Eccles. XXXV, 24.

<sup>5</sup> S. Gregor. Magn. in 1 Reg. Lib. IV, Cap. 4.

<sup>6</sup> Id. Ibid.

<sup>7</sup> S. Gregor. Magn. in 1 Reg. Lib. IV, Cap. 4.

<sup>8</sup> S. Augustin. Confess. Lib. VI, Cap. 11.

<sup>9</sup> S. Gregor. Magn. Moral. Lib. VI, Cap. 37.

<sup>10</sup> Cfr. Id. Epistolar. Lib. I, Indict. 9, Epist. 25, Ad Ioan. Episcop.

actionem in praxim deducatur oportet. Pastor, idcirco, *neesse est ut sit charitate succensus, necnon interiori ac exteriori exercitatione ornatus, quatenus contemplationis alis per amorem Dei elevetur ad summa, atque per dilectionem proximi, compassione motus, descendat ad ima*<sup>2</sup>. Attamen, dum omnibus donat quae omnibus debet, ante omnia Deo reddere quae Dei sunt eius officium est; ne, deinceps, negotiorum exagitatus tumultu, haec negligere vel omittere cogatur.

b) Tum oratio, tum actio adeo ad invicem copulentur ut neutra detrimentum persentiat. Pastor, enim, *nec sic debet esse ociosus ut in eodem ocio proximi utilitatem non cogitet, nec sic actuosus ut contemplationem Dei non requirat*<sup>3</sup>. Idcirco, si uti privatus homo, contemplationem praeferre Pastor debet; e contrario, uti publica persona, actioni insistere magis ei opus est; quod tamen [in praxi] a muneris momento eiusque oneribus ac peculiaribus contingentibus multum dependet.

c) Quandoque, ut peculiaribus fidelium necessitatibus consulat, orationem intermittere Pastor debet. *Ipsa, enim, Veritas de hoc exemplum praebeuit, quae, per susceptionem nostrae humanitatis nobis ostensa, in monte orationi inhaeret, miracula in urbibus exercet; imitationis, videlicet, viam bonis Rectoribus sternens ut, etsi iam summa contemplando appetunt, necessitatibus tamen infirmantium compatiendo miscantur; quia tunc ad alta caritas mirabiliter surgit, cum ad ima proximorum se misericorditer attrahit, et quo benigne descendit ad infima, valenter decurrit ad summa...<sup>4</sup>. Nec taedere animum debet si sensus eius contemplationi spiritualium semper intentus, aliquando dispensandis rebus minimis quasi minoratus inflectitur, quando illud Verbum per quod constant omnia creata, ut prodesset hominibus, assumpta humanitate, voluit paulo minus ab Angelis minorari. Quid ergo mirum si homo se propter hominem attrahit, dum Creator hominum et angelorum formam hominis propter hominem suscepit?*<sup>5</sup>. Quod et Moysen fecisse legimus qui ad foederis Tabernaculum frequenter introibat et ab illo frequenter exibat: introibat, enim, ut contemplaret, ab eo exibat ut operaretur; contemplabat ut recte se gereret, operabatur ut apte contemplaret.

49. — Orationibus, igitur, ac sanctis desideriis totam paroeciam velut humeris suis Pastor sustentet: orationis clypeo caput

<sup>1</sup> S. Gregor. Magn. Reg. Past. Par. II, cap. VII.

<sup>2</sup> Id. Ibid.

<sup>3</sup> S. Augustin. De Civit. Dei, Lib. XIX, cap. 19.

<sup>4</sup> S. Gregor. Magn. Oper. cit. Par. II, Cap. 8.

<sup>5</sup> Id. Moral. Lib. XIX, Cap. 28.



operiat suum, orationis lorica corpus suum muniat; et hoc animae sanctae subsidio gratiaeque consilio, vim, patientiam, suavitatem, stabilitatem, prudentiam, spirituum discretionem regiminisque artem Pastor sibi comparabit, quibus tantum arduum sui muneris finem, in Ecclesiae, ac animarum bonum assequetur, quod nemo obtinebit nisi quem *Spiritus Veritatis intus docuerit et repleverit feceritque familiarem verbo per casti amoris connubium, per orationis assiduitatem, per iuge devotionis sacrificium*<sup>1</sup>. Tunc vos unctionem habebitis a Spiritu Sancto et nostis omnia, et non necesse habebitis ut aliquis vos doceat: sed sicut unctio Eius docet vos de omnibus...<sup>2</sup>.

<sup>1</sup> S. Laurent. Iustin. *Op. et loc. cit.*

<sup>2</sup> Ioann. II, 27.

## CAP. II.

## DE BONI PASTORIS PRUDENTIA

Pastoris sanctitate ecclesiastico regimine fundamento posito, [quod nemo nisi Deus ponere potest] postquam quae in re superna adiumenta sunt recolimus, ut humanas in re industrias, quibus tantum quae Dei sunt, a Pastore, prudentia mediante, in praxi deducuntur, indigitamus. Quum vero tum negativae, tum positivae sint huius virtutis partes, ut de alteris opportunius sermonem instituamus, de primis ante omnia dicemus. At quaedam de prudentia principia notionesque praecedant oportet, quae complectimur paucis.

## Articulus I.

## DE PRUDENTIA IN GENERE EIUSQUE OBSTACULIS.

§ I. — De huius virtutis in pastoralis regimine necessitate, ac quantum a politica discrepet.

SUMMAE RERUM. — 50. De prudentiae in regimine necessitate. — 51. Prudentia cum mala politica haud confundenda. — 52. Praecipui politicorum mores in regimine recoluntur. — 53. Quantum politicam inibi devitare intersit. — 54. Conclusio.

50. — *Artem Principum prudentiam esse, nimirum, prudentiam solam propriam virtutem Principis esse, tum Aristoteles<sup>1</sup>, tum Angelicus<sup>2</sup> amplissime docent. Quod D. Thomas clarius explicat monendo: Prudentia in Principe est ad modum artis architectonicae<sup>3</sup>; et Philosophus quoque: aliae autem virtutes sunt communes subditorum et Principum: subditi autem non est virtus prudentiae, sed opinio vera<sup>4</sup>. Prudentia prima et propria virtus Praelatorum est [Abulenses monuere], quia actus Praelatorum est regere et ordinare alios: ideo ante caeteras virtutes Christus dixit quod Praelati debent esse sal, id est prudentiam habentes<sup>5</sup>.*

<sup>1</sup> *Politic.* III, cap. 3.

<sup>4</sup> *Loc. cit.*

<sup>2</sup> II<sup>a</sup> II<sup>ae</sup>, quaest. 58, artic. 12.

<sup>5</sup> *Toast.* quaest. 80, cap. 50.

<sup>3</sup> *Loc. cit.*